



Meibom. Chron. Riddagshuf. ist  
durch Versetzen beider Bände in zwei  
Teile getheilt worden, in denen die Schriften  
ander Autoren dazwischen gebunden sind.  
Münch.

- Inhalt:
- 1.) Pertuch, Chronicon Portense.
  - 2.) Meibom, " Riddagshufense, 1. Teil
  - 3.) Schenck, Diss. hist. de Fridrico duce Brunno et Lundeb.  
electione in imperatorem Rom.
  - 4.) Petrus, Tract. quo maiores primum consilio fuerint  
coenobia.
  - 5.) Meibom, Bardovicium.
  - 6.) " , Chronicon Riddagshufense, 2. Teil.

Sammelband M 9 86



<sup>4</sup> <sup>5</sup> BARDEVICVM <sup>3</sup>

SIVE

Historia urbis istius, omnium  
Germanicarum antiquissimæ: à quibus, & quando  
condita: quas experta mutationes, & quâ demum  
occasione funditus sit deleta: My 761  
2. Ex.

*Congesta ex probatissimis scriptoribus, antiquis & recen-  
tibus, editis & manuscriptis: adhibitis veterum Impp.  
principumque diplomatis & literis:*

operâ ac studio

HENRICI MEIBOMII,

Poëtæ & Historici.

Ecclesiasticus cap. xxii,

Περὶ πυρὸς ἀτμῆς καμίνου καὶ καπνὸς, ἕως  
περὶ αἱμάτων λευδογῆαι:

EDITIO SECUNDA.



HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCCXLIV.





P. Orosius lib. vi. cap. xi.

**M**ultum ad coërcendam audaciam valet pro-  
positum punitionis exemplum, cum ipsa mi-  
seri persona viventis, & ad recordationem ad-  
monet conscios, & ad sciscitationem cogit igna-  
ros. Repetit eadem Paulus Aquilegiensis Di-  
aconus historiae Miscellæ lib. vi.





GEORGIO ET CONRADO  
à DASSEL,

LVDOLFI filijs, GEORGI  
nepotibus,

*Patriciis Luneburgensibus,*

Iuuenibus lectissimis, ornatissimis,  
amicis meis carissimis

S. P. D.

**E**st mihi animus, iuvenes humanissimi, post  
multos eadē in re haectenus occupatos, quo-  
rum laudi nihil derogo, institutum valdē  
probo, antiquitates Saxonicas, & investi-  
gare & illustrare: si non felicius, saltem  
scrupulosius: cum videam, quod & alibi dixi, unius atq; al-  
terius scriptoris fidem apud recentiores tanti esse, ut in eā  
securi acquiescant, non inquirentes amplius, rectēne ac ve-  
rē omnia dicta sint, an verō sepiusculē aberratum. Vt & i-  
pse mihi, & de me reipublicae literariae polliceri possim ali-  
quid, faciunt, quae ad manus sunt adminicula minimē reti-  
cenda. Exiere in publicum intra annos xxxv. Antiquita-  
tum Germanicarum Scriptores veteres non pauci, pluresq;  
evulgantur quotidie: cum quibus etiam ex suo penu aliquid  
conjungent illi, quos non crediderim auctores asserere, &

12

colli-



colligere diligenter, no vimus. Editæ sunt etiam farragines aliquot veterum diplomatum Imperialium, traditionumq, quas vocant: bullarum item Papalium, veritatem historicã curiosè investiganti permultum profutura. His diligenter lectis, interq, se cum curâ collatis, animadverti infinita ab aliis, vel oscitanter prætermissa, vel minus rectè tradita, non sine veritatis, tam jacturâ, quàm obscuratione. Contigit etiam mihi (quod in aliquâ felicitatis parte colloco) facultas inspiciendi complurium monasteriorum, partim archiva, partim libros copiales, quos vocant: in quibus inveni Imperatorum nostrorum diplomata, Paparum bullas, Episcoporum, Principum, Comitum, nobiliumq, literas: instrumenta donationum & contractuum innumerabilia: quæ me omnia de multis, alibi non obviis, præclarè erudierunt. His adminiculis fretus, iter, quod dixi, ingressus sum, editisq, proximo anno IRMINSVLA meâ, & Originibus Marchionis LEVOLDI NORTHOFI, viri nobilis, notis nostris illustratis, in aliis ejusdem generis publicandis concinnandisq, nunc sum totus. Dabo autem, ουν Ιεω, aliquot rerum Saxoniarum Scriptores, hætenus in visos & ineditos: dabo nonnulla historica proprio Marte composita: in quibus erunt vita & res gestæ HENRICI LEONIS, filijq, cognominis PALATINI Rheni, ac nepotis OTTONIS, primi Brunsvicensium & Luneburgensium Ducis. Quæ omnia ex editis manuq, scriptis auctoribus, immane quantum inter se, quâ notationem temporis, quâ res ipsas & gesta, dissidentibus, collecta, maturo cum judicio ad veritatem infalli-



fallibilem reduxi, tabulisq; & instrumentis, quæ inspexi,  
confirmavi. Ejus generis sequentur familiæ nonnullæ vete-  
res, in quibus enucleandis à recentioribus plus vice simpli-  
ci, ut Lyricus inquit, hallucinatum: BILLINGANA, ni-  
mirum, STADENSIS, VALBECENSIS, & SOMMER-  
SEBURGIA: quæ temporibus OTTONVM & HENRICO-  
RVVM, affinitate Imperatorum, rebusq; pro patriâ forti-  
ter feliciterq; gestis, longè lateq; inclaruerunt. Non dicam  
omnia, quæ meditor, multa enim sunt: maloq; prodire illa  
inopinata, quàm ut diu expectentur promissa. BARDE-  
VICVM, urbem olim nobilem, Saxonix lumen, hoc tem-  
pore extrudere placuit. Cui verò, dicat aliquis, bono? Cer-  
tè non pauca habet historia ista, etsi brevis (longiorem e-  
nim, tum penuria, tum negligentia scriptorum, qui nostræ  
posteritati tradiderunt, esse non sinunt) quæ nos omnes  
commonefacere & erudire possunt de multis, tum jucundis,  
tum utilibus rebus. Ab antiquitate urbi huic honos &  
splendor: ab emporio fuere opes: magnum præterea adeo  
maturè, & quidem cum incunabulis propagationis, Christia-  
nam religionem agnovisse, nisi tam salutare beneficium  
sceleratè fuisset repudiatum. Cujus detestandi contemptûs  
pœna etsi dilata, non tamen sublata fuit. Christianismus de-  
nuo introductus, & experta inter ancipites rerum vicissi-  
tudines divina protectio, cum animos civium ad modestiam  
& gratitudinem inflectere potuisset, certè debuisset, sine  
fructu abijt, plerisq; non in DEVM felicitatis humanæ au-  
ctorem, ejusq; se vera mandata, sed in illud, quod vel arride-





ret, velex usu videretur, oculos intendentibus: unde neces-  
sario secuta animadversio divina: talis quidem, ut, viden-  
tes eam, cohorrerint, qui nunc audiant cognoscantq, aures  
illis tinniant, ut Prophetæ verbis utar. Operam hanc no-  
stram Bardevico impensam, alicujus certè industriæ & la-  
boris, vobis, juvenes ingenui, dedicare & inscribere volui,  
cùm sciam amare vos historiarum studium, seduloq, conjun-  
gere cum juris civilis cognitione, præeunte fideliter vobis  
nobili & erudito viro, IOANNE à LANGEN, populari  
meo per caro, præceptore vestro solertissimo, qui & ipse an-  
tiquitatis notitiam plurimum amat & suspicit. Eadē mens  
hospiti vestro V. CL. HENRICO ANDREAE CRANIO,  
ICTO, academiae hujus professori ordinario, collegæ & ami-  
co meo conjunctissimo: quantum enim memoriae rerum ge-  
starum ille tribuat, quomodoq, ad usum transferat, id osten-  
dit suis disputationib. flosculis hujusmodi respersis. Horum  
auctoritate moti, juvenes ornatissimi, quod incoasse vos  
dixi, feliciter pertexite iter, operæ precium reperturi suo  
loco & tempore. Possem & aliam dedicationis causam ad-  
ferre, nimirum quòd vobis a vita & hereditaria bona eo in  
loco, ex quo cominus funestum cadaver, & campos, ubi Bar-  
devicum fuit, quotidie conspiciatis. Quod igitur, non teme-  
rè, nec sine causâ gravi, à vestri amante proficiscitur mu-  
nus, id benevolo animo accipite, vestrisq, patris, GEOR-  
GIO & FRANCISCO, quos honoris causâ nomino, viris  
reverendâ dignitate & excellenti doctrinae eruditione  
conspicuis, aliisq, ex per vetustâ honoratâq, familiâ vestrâ,  
patria



patriæ antiquitatis amantibus, Bardevicam nostrum, imò  
etiam vestrum, legendum cognoscendumq; transmittite, si-  
mulq; diu & feliciter valete. Dabantur Helmæstad In  
illustri Iuliâ academiâ Idibus Martij, anno natiuitatis fi-  
lij DEI M DC XIII. qui est ab exciso Bardevico  
CCCCXXIV.

Vestri Studiosissimus

Henricus Meibomius, academiæ Iuliæ  
Professor ordinarius.

---

*Elenchus*

Auctorum, ex quibus historiam hanc  
collegimus.

Abbas Urspergensis.	Arnoldus Lubecensis.
Abraham Bucholcerus.	Athenæus.
Adamus Bremenſis.	Beatus Rhenanus.
Adrianus Romanus.	Bertholdus Constantiensis.
Albertus Crancius.	Bruno scriptor belli Saxonici.
Albertus Stadenſis.	Bullæ Pontificiæ.
Ammianus Marcellinus.	Caspar Bruschius.
Andreas Althamerus.	Caspar Peucerus.
Annales Francici.	Centuriæ Magdeburg.
Annales Fuldenses.	Christophorus Enzelius.

Chro-



Chronicon Bremense.	Hieronymus Emserus.
S. Michaëlis Hildes. MS.	Hieronymus Henningesius.
Lauterbergense MS.	Iacobus Spigelius.
Mindense MS.	Interpres Iuvenalis vetus.
Rastedense MS.	Ioannes Frisius.
Saxonicum vetus.	Ioannes Letznerus.
Slavicum.	Ioannes Neoyvaldius.
Cyriacus Spangenbergius.	Ioannes Schiphoverus MS.
David Chytræus.	Lactantius.
Diodorus Siculus.	Lambertus Schafnaburg.
Diplomata Imp. German.	Lucas Lossius.
Ditmarus Merseburg.	Michaël Vranius.
Dodechinus Hildesiensis.	Monachus Egolismensis.
Dominicus Dreuerus MS.	Nicolaus Marschalcus.
Ecclesiastes.	Otto de S. Blasio.
Ertvvinus Ertmanus.	Otto Frisingensis.
Fasti Hildesenses MS.	Paulus Eberus.
Festus Pompejus.	Philippus Melanchthon.
Franciscus Irenicus.	Poëma de vitâ Caroli M.
Georgius Fabricius.	de vitâ Vicelini.
Georgius Torquatus.	Regino Prumiensis.
Guilielmus Camdenus.	Reinerus Reineccius.
Helmoldus Butzoviensis.	Rudimentum Novitiorum.
Hermannus Hamelmanus.	Sebastianus Münsterus.
Henricus Buntingus.	Sextus Pompejus.
Henricus Hervordiensis.	Strabo.
Henricus V Volteri MS.	Virgilius.
Hermannus Bonnus.	Vita Ottonis Pomer. Apostoli.
Hermannus Cornerus MS.	V Vernerus Rolevincius.
Hermannus Lerbeccius MS.	V Wolfgangus Lazius.

HISTO-





HISTORIA  
BARDEVICI VRBIS ANTIQVÆ  
ET NOBILIS.

**B**Ardevicum, sive Bardorum vicus (annali-  
bus Francicis *Bardenvvich*: Poëtæ anonymo  
in vitâ Karoli M. *Bardonvich*: Brunoni de  
bello Saxonico *Bardanovick*: Arnolde Lube-  
censi & Alberto Stadenfi *Bardevvich*: Chron.  
Bremensi *Bardevvich*: Sclavico *Bardevvik*:  
Irenico Exeges. lib. xii. quem sequitur Iacobus Spigelius  
commentario ad xii. lib. Austriadis Bartholini, *Bardeju-  
gum*) si vera est fama, antiquissima fuit urbs totius Saxonie  
Septentrionalis Germanie. Etenim Româ vetustiore facit:  
Buntingus primâ parte Chronici Brunsvicensis annis  
*centum & duobus*: Eberus in Calendario *ducentis*: Spangenber-  
gius Chronici Saxonici cap. *xxiii. ducentis quadraginta du-  
obus*: alij *ducentis triginta quinque*. Qui posteriori subscri-  
bunt sententiæ innituntur testimonio versuum leonino-  
rum, qui etiam hodie leguntur inscripti foribus basilicæ  
cathedralis in ruderibus Bardevici. Recitantur à Caspa-  
ro Bruschio in catalogo Episcoporum Verdensium: repe-  
titque eosdem Lucas Lossius in farragine epitaphiorum  
in inferiori Saxonie extantium, qui liber prodiit Vite-  
bergæ anno MDXXC. Versus sunt hi:

*Abram dum natus mox Treveris incipit ortus.*

*Hinc annis Bardvic mille, sex X, quoq; quinq;.*

*Post Bardvic Roma duo C. cum quinq; Triginta.*

*M. C. post Nat. junctis octoginta novemq;.*

B

Dum



## HISTORIA

*Dum Brunsvicensis Dux Henricus Leo dictus  
Simonis in festo Bardus subvertit ab alto.*

Si fidem merentur versus, urbs condita est anno mundi  
MM D CCCLXXXV. ante natum Christum DCCCCXC.  
anno post distractionem regni Salomonis XIV.

Nomen urbs accepit non à *Bardone* fundatore, ut  
Crancius opinatur Saxoniae lib. vii. cap. ii. & Vandaliae  
lib. iiii. cap. vi. cui conjecturae subscribit Adrianus Ro-  
manus in theatro urbium, & Buntingus citato loco: ubi,  
nescio quâ licentiâ, Bardonem istum *regem* facit: sed à *Bar-*  
*dis* gente Boreali: quam etsi apud nullum scriptorem sele-  
gisse locis citatis idem Crancius affirmet, venire tamen  
in mentem ipsi debuisset, minimè eos præteriri, tum ab  
Adamo Bremense, tum ab Helmoldo, quos equidem ipse  
legit, peneque de verbo ad verbum exscripsit, nominare  
vix dignatur. Adamus Bremensis lib. i. cap. iiii. menti-  
one quamvis obscurâ, indicat Bardos: disertius expressi-  
usque Helmoldus lib. i. cap. xvi. xxv. & xxvi. ubi *Storma-*  
*riis, Holsatis & Ditmarsis* confines, *Magnoq. Billigano* sub-  
jecti fuisse commemorantur. Helmoldi verba ipse Cran-  
cius repetit Saxon. lib. v. cap. xxvii. Vandaliae lib. iiii.  
cap. vi. vii. ix. & xx. eoque minus ignorare Bardos potu-  
it. Quid, quod vetus interpret Iuvenalis, editus à Pithæo,  
ad Satyr xvi. *Bardos* vocat *gentem Galliae?* comprehensos  
autem Gallorum appellatione etiam Germanos nemo do-  
ctus ignorat.

Bardorum nomen merè est Germanicum, apud Saxones  
nec dum desitum, ductum à qualitate loci. Est autè Saxoni-  
bus, tam Cis-Veseranis, quàm Trans-Veseranis vocabulum  
*Börde* *locus planus & uber*, ut Ioannes Neovvadius IC. com-  
mentario de antiquis VVestualiae colonis, Peucerus lib. iv.  
Chron,



## BARDEVICI

Chron. Cario-Philippici intelligit *planiciem montibus subje-*  
*ctam, qua fertilissima, & quasi horreum vicinarum regionum, hinc*  
*suos redditus atq; proventus annuos percipientium.* Suffragatur u-  
 triq; Spangenbergius Chron. Saxon. cap. xiiii. istis verbis:  
 Börde das ist ein gar fruchtbares trechtiges Land/ das Getreid  
 dig vnd Einkommend genug tregt vnd böret. Nec dissentit  
 Christophorus Entzelius in Chronico veteris-Marchiæ, u-  
 bi hæc habet: Es ist aber die Börde auff alt deutsch/ quasi hor-  
 reum, das es ein fruchtbar Land von Korn ist.

Hæc non improbo: nam & hodie usitatum, ut quæ re-  
 liquis fertilia sunt loca, hoc nomine veniant. Atque in-  
 de Bordæ Magdeburgicæ, una *alta*, die Hohebörde/ altera *syl-*  
*vatica*, die Holzbörde. Et secundum Borda Halberstadiana,  
 Göttingensis & Embecensis, cis Visurgim: ultra eum, Sufa-  
 tensis & VVendena in agro Lippiensi. Dissentio autem in  
 hoc, quòd Neovvaldius & Peucerus vocabulum Börde *ab*  
*onere proventuum* quasi Bürde: Spangenbergius *a ferendis fru-*  
*gibus*, Saxonice Bören/ profluxisse velint, cum hæc ipsa agris  
 fertilibus communia sint cum minus fœcundis: nam & hi  
 ferunt, quantum natura dedit, & sua quoq; sentiunt onera.

Conjectura verò mea hæc est, Börde nihil esse aliud  
 quàm Bawerde/ *terra cultui apta*: vel si mavis Bawart/ nam  
 & hodie nobis arthastig Land/ est *terra frumentaria*. Eodem  
 modo Gardi/ latinè hortus, Saxonibus est idem quod Gar-  
 erde/ *terra stercoreata*, sive pinguefacta: sive Garart. Voca-  
 bulum autem trisyllabum Bawerde/ vel si id magis placet  
 Bawörder/ per synæresin factum est dissyllabum Börde/ eo-  
 dem modo, quo Bawr, agricola, ex dissyllabo abiit in Mo-  
 nosyllabum Bawer: & ex illo compositum Nacher bawer si-  
 ve Nacherbawer/ hoc est, colonus vicinus, sit Nacherbawr.  
 Quemadmodū igitur palustrium regionū incolæ nō minati





## HISTORIA

4  
sunt à paludibus *Bröker*/ Romanis *Bructeri*: pascuorum lo-  
corum habitatores *Marscher*/ iisdem Romanis *Marsi*: sic à  
fundis feracibus nomen sumere die *Börder*/ Latinis *Bardi*:  
sicuti *Angrivarii* etiam ab agris (nos *Unger* appellamus) anti-  
quitas dicti sunt. Est autem Ager *Bardevicensis* jucundus  
& fructuosus, cum in viciniâ admodum macer sit & exilis.

Ab his verò *Bardis*, agrorum cultoribus, segrego omni-  
no *Bardos* Gallicos, quorum meminere *Lucanus* lib. i. *Phar-*  
*faliæ*, *Festus Pompejus*, *Strabo* lib. xiiii. *Ammianus Marcel-*  
*linus* lib. xv. Fuere illi, ut *Strabo*, ὑμνῆται ἔτι ποινταί: quæ ea-  
dem *Diodorus Siculus* & *Athenæus* lib. vi. Nomen adepti  
sunt à *veneratione*, quâ digni habiti, quasi dicas die *Werden*/  
quale nostrum *Lieb vnd werth*. Litera autem *E* mutata est in  
*A*, more *Septentrionalibus Saxonibus* familiari, quibus  
*Werder*/insula, pronunciat *Warder*/ & pro *Kercke*/templū,  
*Wercken*/porcellus, *Wercken*/operari, dicitur *Karcke*/*Warc-*  
*cken*/warcken/ &c. *VV* verò *Germanicum* mutatum est in *B*  
*Latinum* à scriptoribus, uti in multis aliis vocabulis usue-  
nit, qualia sunt *Dagobertus*, *Heribertus*, *Sigibertus*, quæ proprie  
sunt *Degenwert* / *Hernwert* / *Siegewert*.

A *Bardis* igitur nostratibus colonis nomen suum habet  
*Bardevicum*, quasi dicas *Bardorum castellum*: nam *VVic*, teste  
*Alfredo Anglo-Saxone*, scriptore per vetusto, quem *Guili-*  
*elmus Camdenus* in suâ *Britanniâ* laudat, antiquis *Saxoni-*  
*bus* castellum significavit. Idem affirmant excerpta quædã  
ex *Nicolao Marschalco*, *Thurio*, mihi nondum viso, in qui-  
bus hæc legi: *Wie in alter E dchsischer Sprach heist ein Fleck*  
*oder Städtlein/darinn sich die Bürger vnd Inwohner des Orths*  
*für gewalt enthalten / etc.* Nihil enim moror *Crancium*, qui  
*Saxonie* lib. ii. cap. xxx. & *Metropol.* lib. ii. cap. iii. affir-  
mat *VVic Saxonibus esse sinum excurrentis fluminis, stagni aut ma-*  
ris.



## BARDEVICI

*vi.* Hanc sententiam persuasit Beato Rhenano & Andrea Althamero, viris doctissimis: nam hic commentario ad Tacitum, ille libro III. rerum Germanicarum idem inculcant, infinitosque ex recentioribus habent suffragatores.

Neque dubitarim nostrum *Vvic* esse à Latino *vicus*: sicut à *vekkâ* (sic enim veteres pro *villâ* scribebant, teste Ioanne Frisio in Dictionario) ortum est vocabulum *Welle*/ significans domum, vel modicam domorum congeriem, ut *Xotwelle* in agro Mansfeldico: *Cowelle* cuius mentio in literis monasterii Mariævallis. Pleniore idem sono enunciat *Wedel*/ quo nomine est oppidum in Holsatia, & pagus propè Riddagshufiû. Cõposita inde passim invenias, *Borchwedel* & *Steinwedel* in agro Luneburgico: *Soltwedel* in veteri Marchiâ Brandenburgica: *Langewedel* in diœcesi Bromensi. V verò geminatum remansit ex veterum pronuntiatione, quod indicant similia vocabula, puta, vacillo, vallû, vanus, vannus, vastus, verbum, vermis, verum, vidua, quæ nobis, *Wackeln*/ *Wall*/ *Wahn*/ *Wanne*/ *Wöste*/ *Werb*/ *Worm*/ *War*/ *Witwe*.

Composita à *Vvic* etiam invenias passim, ut *Catuvic* Cattorum colonia, & *Noruvic* apud Batavos: *Vvaruvic* & *Noruvic* in Saxoniâ Transmarinâ sive Angliâ: *Holtuvic* & *Guttersovick* in V Vestualiâ: *Cosuvic* ad Albim non procul à Vitebergâ: *Slesuvic* ad lacum Sliam in Holsatiâ: *Ostervvic* in diœcesi Halberstadenfi: & *Brunesovic* in viciniâ nostrâ.

A Bardevico Bardorum castello, sive propugnaculo, nomen accepit totus iste tractus, à quo circum circa ambitur & quasi includitur. Annales Francici ad annû MCCXXIV. *Bardengavv*: diploma Ludovici secundi Imp. datum Francofurti *Bardengoa*: bulla Nicolai I Papæ data an. DCCCLXIV. *Berdangoa*: Regino *Bardenguni*: monachus Egolismensis in vitâ



## HISTORIA

■
 Karoli M. *Bardeingovin* appellat. Rectissimè omnium annales: nam *Gov* antiquis Germanis *pagum*, id est, *tractum seu districtum unius ditionis seu regionem significavit*, quod alibi pluribus docuimus.

Ignotum mansit Bardevicum tam Romanis, quam Graecis scriptoribus, sicut omnis penè Germania, exceptis quæ à Cæsare, Paterculo, Tacito, Strabone, Ptolemæo, aliisque paucissimis strictim & breviter commemorantur. Solus Rhenanus, nescio cujus fide, rerum German. lib. 1. auctor est, Tiberio imperante, *Longobardos* prope Bardevicum sedes habuisse: quam assertionem in medio relinquimus. Verò tamen simile est, floruisse Bardevicum cum Iulino & VVinetâ urbib. nobilissimis. Quarum cum hæc intestinis odiis, civilibusq; dissidiis exhausta defecisset: illa à *Danis* expugnata deletaq; esset, superstes utriusque Bardevicum emporium fuit continentis longè celeberrimum.

Innotuit demum annalibus per occasionem Evangelii de filio DEI *Christo Iesu* illic prædicati, minimè tamen admiffi. Scribit enim Henricus Hervordiensis (Trithemio & aliis perperam Erfordiensis) monachus Dominicanus ædis San-Paulinæ apud Mindenses, s. *AEgistum* unum ex LXXII, discipulis Christi, mandato Divi *Petri* apostoli in Germaniam profectum, Bardevicum ad fluvium *Elmena*, unà cum *Mariano* diacono se appulisse, ibique parœciam rexisse: postmodum utrumque à barbaris ejus loci martyrio coronatum. Hæc ex Hervordienfe repetit historia Ecclesiastica Magdeburgensis, cent. 1. lib. 11. cap. II. & X. & inde Michaël Vranus tractatu de LXXII, discipulis Christi. Veteres schedæ idem habentes addunt *Thurios* (quos equidem planè ignoro) cædisistius auctores fuisse. Meminit Christianismi Bardevicentis Crancius Metrop. lib. 1. cap. 1. meminit temporis,

impe-



BARDEVICI.

7

Imperii scilicet *Neronis*, sed nomen *AEgisti* præterit, & de morte variat, nam de martyrio verbum nullum. Addit autem evangelistæ hujus *λεὶψανα* à rege Danorum *Kanuto*, qui Henrico Leoni focero Bardevicum expugnanti præsto fuerit, exorata, & tanquam nobilem laboriosæ expeditionis mercedem, in Daniam transmissa. In his omnibus famam se ait secutū, cum in annalibus nihil tale inveniat. *V*ernerus Rolevingius parte i. cap. iii. de laude veteris Saxoniae, de *AEgisto* eadem refert cum *Hervordienſe*: à Crancio diffidet, scribens suo tempore, anno scilicet *MCCCLXXXI IX.* adhuc Bardevici demonstratas fuisse *AEgisti* reliquias.

*A* Karolo M. Bardevicum sede Episcopali donatum testatur *Chronicon Mindense MS.* Crancius hoc non tam affirmat, quam conjicit: nam *Saxoniae lib. ii. cap. xvi. Kinitude*, quod in *Metropoli lib. i. cap. vi. Konende* dicitur, primam fuisse cathedræ *Verdensis* sedem affirmat, cumque locum Bardevicum esse suspicatur. Sed hanc Crancii sententiam, etsi suffragatores habeat *Peucerum*, *Bruschium* & *Munsterum*, refutat diploma *Karoli M.* quod extat in *Chronico Bremensi MS. Henrici V Volteri*. Verba *Karoli* hæc sunt: *Terram autem illorum (Saxonum) secundum antiquum Romanorum morem in provincias redigentes, & in Episcopatus certo termino distribuentes, quandam Aquilonarem illius partem Domino nostro Iesu Christo, & sanctissimæ ejus genitrici obtulimus, & in loco Phardum vocato, super Alleram fluvium in pago, qui dicitur Sturmi, Ecclesie Episcopatus, interventu Lullonis illius metropolis ecclesie Episcopi, eam subjecimus &c.* Vide etiam pagos nostros *Saxonicos*.

Hoc constat ex *Historicis*, durante bello *Saxonico*, *Karolum Magnum* aliquoties Bardevicum invisisse. Venit illuc anno *DCCLXXXV.* stipatus non paucis ex primoribus regni,



HISTORIA

8  
regni. Hi *Virichindo* & *Albioni*, belli Saxonici ducibus, spem fecerunt veniæ rebellionis & contumaciæ, modo Karolo, principi naturâ miti moderatoq; supplices fierent, quodq; unum ab eis postulasset hætenus, neq; etiamnum denegari sibi vellet, obsequenter præstarent, nempe ut nefandâ majorum religionem abjicerent, siquidem hoc ad salutem ipsorum æternam pertineat, utriq; verò genti, tam Francicæ, quàm Saxonicæ, pacis & tranquillitatis optatissimæ spem ostendat indubitatam. Iidem proceres Karolo hortatores fuere, mitteret ex proceribus aliquem ad Saxones, indicatum quid fieri vellet: non hîc periclitari libertatem, cujus vindices se profiteantur: nihil hujus metuendum: quæri summum ipsis bonum, quod mortalibus evenire possit, nempe ut veri DEI agnitione imbuti, de æterna beatitudine acquirendâ certi reddantur: deinde felicitate, quæ ab animæ salute proxima est, pace videlicet, cum vicinis perfruantur securâ inviolataque. Probavit consilium Karolus, missoq; *Amaluvino* aulico cum obsidibus, principes, rebelles hætenus, Attiniacum in Franciam evocavit. Quo in loco, & in religione Christianâ fideliter instituti, & sacrâ baptismatis undâ abluti sunt. Bardevici degentem Karolum salutarunt, quotquot ante quinquennium, in viculo *Orheim* in ripâ fluminis *Obacri*, qui nobis est *Ocris*, sive *Ocer*, baptismum acceperant. Erant illi partim pagi *Bardingovij* incolæ: partim ex *Nortluidis*, hoc est, populis septentrionalibus. Karolus benignè comiterq; exceptos, muneribus donavit, diligenterq; hortatus est, in agnitâ veritate persisterent, nec de sultoriâ levitate novis bellis occasionem præberent.

Reprefferat non nihil Saxones reliquos *Virichindi* & *Albionis* Christianismus, verùm quod imperium Francicū, quantumvis moderatum, planè averfarentur, de rebellandi occasio



## BARDEVICI.

occasionibus nunquam non cogitabant: idque eò magis,  
 quòd animadverterent, barbaras gentes Henetas, Francis  
 confœderatas, Saxonum virtutem despiciatui ducere, ipfis-  
 que servitutem exprobrare. Apud *Abodritos* (nonnulli *O-  
 bodritos* sive *Obotritos* vocant) cum imperio tum tempo-  
 ris erat *VVitzan* (monacho Egolismensi in vita Karoli M.  
 est *VVinurzin*) is militarat Karolo contra *VViltzos* Scla-  
 vos, ab eo tempore in socijs regni Francici habitus. Cùm  
 autem commoverent se, qui versus septentrionem habi-  
 tant Saxones, Karolus cum exercitu descendit Bardevicum,  
 suosque fœderatos Abodritos cum copiis auxiliaribus ad-  
 esse sibi mandavit. *VVitzan* regulus e vestigiò itineri se  
 accingebat, comparatisque navigiis in eo erat, ut opposi-  
 tum flumen Albistransmitteret. Saxones de molitionibus  
 adventuque hostis commonefacti, in utrâque ripâ insidias  
 instruxerant, quas ille à fronte pariter & tergo videns, cum  
 nec recedere, neque progredi tutò posset, in ipso alveo flu-  
 minis interemtus est. Injuriam tam atrocem, socio & a-  
 mico illatam, Karolus acerbè ultus est, cæsis in hostico pu-  
 gnatorum millibus xxx. ut scribit monachus Egolismensis.  
 Idem locum, ubi *VVitzan* occubuit, vocat *Luini*, qui anna-  
 libus Fuldensibus *Liuni*, Reginoni *Hiliuni*: estque sine du-  
 bio *Lüne* prope Luneburgum, ubi hodiè illustre cœnobi-  
 um monialiū. Cædes *VVitzanis* incidit in annum dcccxcv.  
 Poëta anonymos in vita Karoli M. historiam hanc recitans  
*Bardonvich*, sic enim scribit, ut supra etiam meminimus,  
 nobilem vicum indigitat. *VVitzanis* nomen videtur à lu-  
 mine sumptum, nam Emsero teste, *VVitz* Henetâ linguâ  
 est lumen.

Quadriennio pòst Karolus M. iterum cum fortissimo-  
 rum militum exercitu Saxoniam ingressus, cohortes ali-

C

quot





quot secum Padibornæ remanere iussit, reliquas copias tradidit filio primogenito Karolo, ut Septentrionem versus proficiscens, à Nordleudis, Francorum imperio se subiecturis, fidelitatis iuramentum reciperet, simulque vicinos eorum VViltzos & Abodritos, Francis confœderatos, ut in fide, semel datâ juratâque, firmiter permanerent, parentis nomine cohortaretur. In hac expeditione Karolus junior Bardevici aliquamdiu commoratus scribitur. Nec plura de Bardevico in historiâ Francorum invenias, nisi quod Ansegisus, qui vixit circa annû DCCCXL. in constitutionib. Karoli M. lib. III. cap. VI. mentionem Bardevici faciat.

Ab obitu hujus Cæsaris muta omnis historia de Bardis, eorumque vico, usque ad tempora Ottonis M. Cæsaris. Dubium tamen non est, posteris Karoli bellis civilibus mutuo se atterentibus, avitâque Francorum virtute & fortitudine quasi consenescente, Bardevicum, tum à Nordmannis, qui Dani, tum à Sclavis graviter afflictum fuisse. Erant hæ gentes à religione Christiana alienæ, sine humano civili que cultu, feris non absimiles, tantum hoc agentes, ut vicinos rapinis & cædibus molestant. A Sclavis major semper metus & calamitas, quòd vicini: nam Abodritis Karolus eam Saxoniam partem, quæ trans Albim est, inhabitandam dederat, veteribus colonis in Franciam migrare iussis. Protulerunt advenæ isti imperium longè lateque, quod tum diplomata & literæ veteres, in quibus Sclaviticæ villæ crebrò occurrunt, tum sermo *Henerus* in agro Luneburgico apud colonos etiamnum usitatus, manifestum faciunt.

Luçtatos tamen cum barbaris Saxonum proceres, ostendit expeditio *Brunonis* Ducis, *Henrici Aucupis* Cæsaris patruis, qui pro patriâ contra Nordmannos fortiter pugnavit,



BARDEVICI.

II

gnans, cum duobus Episcopis & Comitibus XII. occubuit: ostendit historia *Ottonis*, magni Ducis Saxoniae. & demum i-  
fius Aucupis, qui omnes continua cum Henetis bella geren-  
tes, universa penè Saxoniam eos ejecerunt.

Otto autem Magnus, Aucupis, & filius, & in Imperio  
successor, ut tam patriæ, quàm reipublicæ consulere, Saxo-  
niam *Aquilonialem* (sic vocatur à Bertoldo Constantiensi) ne  
à barbaris circumfessa sine certo esset defensore, illustri &  
generoso viro *Hermanno Billingi*, non agricolæ sive rustici, ne-  
que pauperis alicujus ex ordine equestri hominis, ut falso  
hodie affirmatur crediturq; sed Comitum sive Dynastarum Saxo-  
nici filio, qui prope *Soltovium* in agro Luneburgensi possessio-  
nes avitas non ita magnas habebat, primò administrandam,  
deinde jure hereditario fruendam possidendamq; concessit,  
addito titulo Ducis Saxoniae. Hic novus princeps provin-  
ciam suæ fidei commissam, & in eâ Bardevicum, continuis  
superiorum temporum impressionibus, bellis & tumulti-  
bus, penè in nihilum redactum, quantum potuit restituit,  
instaurato emporio, civiumque numero adaucto. Cumq;  
regionem propugnaculo, reprimendis barbaris, & subditis  
tutandis idoneo, destitui videret, non longè à Bardevico ad  
fluvium *Elmenovium*, cui, sicuti etiam Albi, ab undecim ri-  
vulis in unum flumen ibi coalescentibus, quasi dicas dic *El-*  
*venow* / nomen inditum volunt, (Henningesius ex Herman-  
ni Corneri Chronico MS. affirmat antiquitus flumen hoc  
*Lunow* vocatum) monti excelso castrum imposuit firmissi-  
mum. Mons iste à calce fossili, quam ad radices gignit copi-  
osè, nomen accepit, insignis olim splendido familiae Bene-  
dictinae cœnobio, cujus auspiciem faciunt *Ottonem*, magnū  
Saxoniae Ducem, instauratorem *Hermannum* Billingum,  
perfectorem *Bernhardum*, hujus filium. Floret illud adhuc  
hodie,



HISTORIA

12

hodie, de monte in urbem Luneburgum translatum. Atque hoc modo Bardevicum pervenit ad familiam Billinganam, quæ in Saxoniâ cum imperio fuit annis circiter centum & quinquaginta, ut Crancius Saxon. lib. v. cap. xxix. defecit- que in Magno Hermanni Billingi abnepote.

Hujus temporibus *Buthue*, *Gotschalci* Abodritorû regu- li, ob Christianæ religionis professionem propagationem- que à suis trucidati, filius, adversarium suum *Cruconem* (*Sta- densis* & Crancius *Critonem* vocant) *Grimi* filium, per vim principatum adeptum, bello aggressurus, copias auxiliares à Magno Duce petit & impetrat. Erant hæ ex *Holfatis*, *Dit- marfis*, *Stormariis* & *Bardis*: verum quòd *Buthue* non satis cautè ageret, nec benè monenti morem gereret, interveni- ente prodicione, contra datam fidem à barbaris inermiscû fortissimis quibusque ex *Bardis* contrucidatur, anno MLXVI. ut *Albertus Stadenfis* ex *Helmoldo Buzoviense*.

Non multo post ortum est funestissimum bellum civile, inter *Henricum* IV. Imp. juvenili temeritate ferociâque lascivi- entem, & *Saxones*, quorum libertas plurimum periclitari videbatur. Induit tum etiam arma Magnus *Billings*, in au- spicatò tamen, etenim in potestatem Cæsaris deveniens *Har- zesburgum* in custodiam parû clementem deductus est. Dum ibi detinetur captivus, Cæsar odio Saxonû totus furens, in- ternuncio archiepiscopo Bremense *Adelberto*, alienigenâ, & Saxonibus æquè inviso ac infenso, *Suenonem* *Estritium*, co- gnomento magnum, *Daniæ* & *Norvvegiæ* regem, *Bardevi- cum* evocavit, de Saxonibus, vel subjugandis, vel prorsus extirpandis, delendisque, cum ipso deliberaturus. Admo- dum secretum fuit hoc colloquium, in quod præter archie- piscopum Bremensem admissus est nemo. Emanavit tamen rumor de foedere illic in hanc sententiam sancito. *Daniæ* rex



rex Saxones, Imperatori rebelles, terrâ marique oppugnet, expugnet, expeditionis istius mercedem habiturus regiones Saxonicas omnes, quæ Daniæ regno finitimæ. Schafnaburgensis ad annum MLXXIII. scribit promissam Dano ditionem *Vdonis* Stadenfium principis, sive marchionis, amplissimâ, de quâ Adamus Bremensis lib. iv. cap. v. Verùm mors Suenonis proximo anno subsecuta totum hoc negotium irritum fecit. Idem Adamus libro eodem, cap. xxv. scribit Reges in arce *Luneburgicâ*, quam Cæsar detento in carcere Duce Magno sibi vendicabat, congressos. Cùm Adamo faciunt, Chronicon Bremense editû ab Erpoldo, Stadenfis, & Crancius metropol. lib. iv. cap. vi. nos sequimur Brunonem belli Saxonici scriptorem.

Paulo ante obitum Magni Billingi, non in carcere (ut penè omnes, invitâ & reclamante veritate, recentes historici scribunt) sed domi suæ placidè defuncti, alter Gotschalci Abodriti filius *Henricus*, ex Daniâ, ubi apud suos (quippe qui *Syrithâ* Suenonis Estritij filiâ natus esset) hæcenus exsulaverat, ad suos rediens, de Crucone ex ditione paternâ pellendo cogitabat. Quem cum hominem vaferrimum infidiosumque experiretur, ipse iisdem artibus usus, infidiis circumventum trucidari curavit. Hoc modo majorû suorum ditione potitus est, sed quòd Christianus esset, & Magno Saxonix Duci juramentum fidelitatis præstitisset, Sclavorum quorundam odia invidiamque incurrit, factâque conjuratione bello petitur. Enituit tum fides Ducis Magni, qui, etsi annis gravis, laboribusque exhaustus, cum cliente in Sclavos progressus feliciter & prosperè pugnavit, hostibus partim cæsis, partim fugatis. Interfuere huic expeditioni *Bardi* magno numero, clademque superiori bello acceptam probè ulti sunt.



Post Magni Billingi obitū, qui in annum Christi MCVI collocatur, *Lotharius* natus ex illustri *Querfurtensium* dynastiarum profapia, Henrici V. Cæsaris beneficio Ducatum Saxoniam adeptus est, neque multo post in Imperio successit. Is Bardevici fuit anno MCXXXVII. vel quod comitia ibi haberet, ut Spangenbergius credit, vel quod in hereditaria urbe degens, de constituenda provincia, quoquo modo vicini Sclavi ab eâ arceri, & intra fines suos contineri possent, consilia cum suis agitare. Habuit tum temporis secum *Richense* Augustam, quam ineptè admodum *Rixam* nonnulli vocant, & ex proceribus *Adelbertum* (qui aliis *Adalbero*), archiepiscopum Bremensem, *Ditmarum*, Episcopum Verdensensem, *Adelbertum*, Marchionem Brandenburgensem, *Fridericum*, Palatinum Saxoniam & Comitem Sommerscheburgium, *Sigfridum*, Comitem Homburgensem, *Adolphum*, Comitem Schavvenburgensem, *Sigfridum*, Comitem Ertelenburgensem, *Bernhardum*, Vicedominum Hildesimensensem, *Ludolfum*, dynastam VValtigerodanum, *Ludolfum*, advocatum, aliosque ex ordine Ecclesiastico, & nobilitate complures. Venit tunc etiam Bardevicum, *Vicelinus*, Aldenburgensis Episcopus, natus Quernhamelæ ad Visurgim, hætenus Abodritorū Apostolus. Is de vicinis Sclavis, eorumque tyrannide multa cum Imperatore locutus, auctor fuit, ut in *VVagriâ*, ubi mons excelsus & propugnaculo exstruendo naturâ loci idoneus esset, castrum pro defensione circumjacentis terræ extrueretur. Suavit etiam, simul haberetur ratio religionis propagandæ, quod fieri commodè posset, si ad radices montis templo extracto, collegium religiosorum hominū adjungeretur. Paruit benè monenti Cæsar, operamque dedit, ut tam propugnaculum, quàm monasterium, summâ celeritate, loco demonstrato exstrueretur. Qui cum antea *Meberg* diceretur, muta-



mutavit nomen, à victoriis de Sclavis hucusque habitis, & porrò cum DEI auxilio habendis, auspiciatò *Sigeberg* appellatus.

His ex animi sententiâ confectis, Lotharius de invifendâ Italiâ curam suscepit. Ut autê domi salva essent omnia, Henrico Superbo, Bojariæ Duci, Magni Billingi ex *VVolfhilde* filiâ nepoti, cui filiam *Gertrudin* in matrimonium collocarat, Ducatum Saxonix, nuper doti promissum, solemniter commisit possidendum. Henricus hætenus Bojariæ, nunc etiam Saxonix Dux, focerum cum lectissimo exercitu comitatus est in Italiam. Defuncto Lothario, quod accidit anno *MCXXXVII*. mense Decembri, novi tumultus coorti sunt in Saxonîâ. Occasio hæc fuit: *Adelbertus* cognomento *Vrsus*, Marchio *Soltvedelensis*, quòd matrem haberet *Elieam* Magni Billingi filiam, Saxoniam sibi deberi contendebat: sed vivo Lothario nihil movere ausus fuit. Auditâ illius morte, armatâ manu avi materni ditionem invasit, castro *Lunaburgo*, & *Bremâ* ac *Bardevico* urbibus occupatis. *Nordalbingii* nullâ necessitate cogente victori se submiserunt. Conatus Adelberti marchionis, tantum abfuit, ut improbaret *Conradus Suevus*, Lotharij in Imperio successor, ut palàm affirmaret, iniquum & contra leges, moremque & dignitatem Imperij esse, duos Ducatus uni principi committi. Sed hac sententiâ nihil motus Henricus Superbus, contractis copijs consobrinum Adelbertum totâ iterum exsuevit ditione, adjutus à socru *Richense* Augustâ, neque multo post vivendi finem fecit, relicto filiolo unico Henrico, cui adulto Leonis cognomentum à suis tributum.

*Conradus* Cæsar odium, quod sine causâ in Henricum Superbum conceperat, ad filium etiam derivari passus est: nam ut illum Bojariâ, ita hunc etiam Saxonîâ ejicere con-

tus



tus est. Verùm Saxones exempli novitate, rei que indignitate, cum aliàs Vrsum averfarentur, commoti, Leonem minorennem contra vim omnem animosè viriliterque tutati sunt. Quorum consensum, & nisi cederet, arma parata, Cæsar intuens, ut bellum averteret, Saxoniam quidem Leoni reliquit: verùm ut *Henrico Austrio* Bajoariam confirmaret, Superbi viduam ei nuptum collocavit: sicque placati Saxonum animi.

Potitus sine æmulo septentrionali Saxoniam Leo, nihil quod ad eam exornandam faceret prætermisit. Nam & urbes ædificavit, & ubi esse desierant, vel nondum instituti erant, Episcopatus, aliaque religiosorum hominum collegia condidit, annuisque proventibus munificè donavit. In urbibus ordinavit magistratus, leges tulit honestas, consuetudines superiorum temporum barbariem redolentes amovit: ut domi forisque revera esset, & ab omnibus, pater patriæ, publico natus commodo, bonique instrumentum seculi, grato animo prædicaretur. Sanè quantum fortunis Bardevici, de quo nunc nobis sermo, studuerit, ex eo animadvertas, quòd edoctus de jacturis, quas cives Bardevicenses, occasione urbis *Lubeca*, auspiciis *Adolfi*, *Holfatiæ* & *Schavvenburgi* Comitum, recens conditæ, mercatoribus propter portus locique commoditatem certatim illuc confluentibus, quotidie acciperent, novum illud emporium inhibuit & impedivit. Refertur ab *Helmoldo* lib. 1. cap. *LXXVII*, & in *Chron. Sclavorum*, cap. *XXIV*. Addit *Reineccius* *V. CL.* ex *Chronico Pegaviensi*, (fortè manuscripto, nam editum hujus nihil habet) *Luneburgum* cum vicino agro fuisse sponsalitium *Mechtildis* Anglicanæ, conjugis *Henrici Leonis*, eamque, direptis mariti possessionibus, Cæsare non contradicente, tantulum hoc sibi vendicasse, de quo nihil affirmo.

Pro;



Proscripto autem Leone, ejusque bonis publicatis, nihil Cæsari Friderico potius fuit, quàm ut prostrati per acerbam invidiam optimi principis exsuviis quàm ocysimè potiretur, easque in alios distribueret, priusquam adversario colligendi se facultas præberetur. Diviso igitur exercitu, quem penes se habebat maximum fortissimumque, partem ejus tradidit archiepiscopo Coloniensi *Philippo*, ut *Brunsvicum* obsideret: cum altera ipse septentrionem versus processit, *Luneburgum* propugnaculum, & *Lubecam*, loca oppidò munita obsessurus. Bardevicenses, quod nullum in urbe esset præsidium, Cæsarem cum copijs adventantem, nullâ interpositâ morâ receperunt. Commendata est civitas *Bernhardo*, designato Saxonie Duci, ejusque fratri *Ottoni*, Marchioni Brandenburgico. Regresso verò ex locis istis Cæsare victore, ac Leone paulò post in Comitijs *Erfordiensibus* cum conjugè & liberis in exilium ire jussò, in eodem conventu *Bernhardus*, hætenus titulo tenus Saxonie Dux, Bardevicum unâ cum circumjacentibus regionibus possidendum accepit, atque cælesti præsidio oppida & arces impositis præsiidiis firmavit. Hoc modo tota regio iterum mutavit dominos, sic tamen, ut apud posteros Magni Ducis permanserit, ejus enim ex filiâ *Elicâ* *Bernhardus* & *Otto* Anhaltini fuere pronepotes. Cæterum quia sub sole nihil permanet, ut Ecclesiastes cap. I. nihilque humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus destrui possit, siquidem mortalia sunt opera mortalium, Lactant. lib. IV. cap. XV.

— Summisque negatum

Stare diu—

ut Lucanus lib. I. Pharsaliæ, hæc etiam urbs, ut perantiqua, ita celeberrima, periodo ævi felicitatisque suæ circumactâ, fatis ipsam urgentibus, memorabili ad omnem poster-

D

rita-



ritatem exemplo, suâ ipsius culpâ, momento in cinerem & favillas redacta est: prostrata non ab extraneo, sive hoste, sed à legitimo domino, patriæq; patre, cujus infortunijs acerbè insultare, quàm vicem humaniter dolere maluit.

Occasio funesti admodû excidij hæc fuit: Fridericus I. Imp. voto obligatus ad bellum sacrum in *Palastinâ* contra Saracenos gerendum, se accingebat: ne verò per absentiam suam in Imperio quicquam turbatum moveretur, Leoni ex Angliâ nuper domum reverso, quem nimio plus super rebellionem suspectum habebat, alterum indixit exilium, eâ tamen conditione, ut quod ex recenti calamitate superesset ei hereditatis & fortunarum, sine injuriâ & maleficio adversariorum sartum tectum retineret. Cessit tempori, cum agere aliter non posset, eodemque penè momento magni isti Imperij principes, consanguinei, Leo exsulatum, Cæsar ad comparandam gloriam, sive ut superstitione dementati infelices tum credebant homines, saluti animæ consulturus, nunquam deinceps in hac vitâ congressuri, domo excessere.

Absente Cæsare recrudit hostium Leonis acerbitas & malevolentia, qui majore, quàm unquam antea, libidine exfulis bona invaserunt, arbitrati publico imperij custode remoto omnia sibi licere. Quâ enormi petulantia & improbitate nimiooperè exacerbatus Leo, domum ante præfixum tempus cogitavit, instigantibus eum, ut id faceret, & *Angliæ* & *Daniæ* regibus. Etsi autem alibi benevolè exceptum constet, hanc tamen urbem suam hereditariam, licet per vim ademtam, præter omnem spem supra modum ferocem, ac insolentem, omniumq; beneficiorû veterum & recentium planè oblitam invenit. Vix salvo  
pudo-



## BARDEVICI

19

pudore rem detestandam narraverimus: minimè tamen prætereunda erit, quippe quæ exemplum sit omni posteritati, punitæ proterviæ, improbitatis, & petulantia.

Leonem ab exilio reversum, *Hartvicus*, archiepiscopus Bremensis, non tantùm amicè & comiter exceperat, verum etiam agrum *Stadensem*, in comitiis Erfordiensibus edicto & decreto Cæsaris Leoni ademptum, & Ecclesiæ Bremensi traditum, liberè ei resignarat. Antistitis exemplum secuti sunt *Holsati, Stormarii, & Polabii*, Leoni tanquam vero suo domino sese adjungentes. Habebat ille secum *Bernhardum*, *Raceburgensem*, *Helmoldum*, *Suerinensem*, *Bernhardum*, *Uolpensensem*, Comites, aliosq; de nobilitate non paucos, quorum industria militaris, reiq; bellicæ scientia perspecta erat & experta. Quod de rege Daniæ Crancius in metropoli affirmat, interfuisse eum huic expeditioni, id ab annalibus non indicatur, neque vero est simile: ideo ad famam, quam solam secutum se Crancius ait, hoc totum relegamus. Gentium istarum, quas dixi, Ducumq; robore suffultus Leo in spem recuperandi Ducatus Saxonici erectus, toto cum exercitu rectà adiit Bardevicum. Inerat urbi validum præsidium *Bernhardi Ducis Saxoniae*: cives verò, aliàs rerum novarum cupidi, fortunamq; secundam æquo ferre animo indociles, pluris præsentia, quàm præterita æstimabant. Etenim Leonem toto octennio, & ab æmulis, & ipso etiam Imperatore, immisericorditer divexatum, tantumq; non oppressum, in integrum restitui nequaquam posse, non tantum persuasum habebant ipsi, sed jactare apud alios non erubescabant. Denegatus igitur appropinquanti deliberatò introitus, jus verò suum urgenti, & nisi pareant, vim præsentem minitanti, responsum est superbius. Quinimò inventi sunt homines flagitiosissimi, qui pietatis omnis ac re-

D 2

veren-





verentiæ, DEO Opt. Max. ejusq; vicario legitimo magistratui debitæ, obliti, conscensis urbis moenibus, partes corporis posteriores turpiter nudatas hosti obverterunt, improbo detestandoq; gestu, quanti minas istas facerent, demonstrantes. Prætereuntur hæc ab Arnolde Lubecense, qui istis temporibus, & quidē in viciniâ vixit: nec satis accuratus in Saxoniâ lib. v. cap. ii. Crancius, contentus dixisse, *crescente obsidionis labore intervenisse pugnantium invicē contumeliis plena verba & facta probrosa, pro alterno contemptu.* Chronicon verò Saxonicum vernaculâ linguâ scriptum, rem uti gesta est, nudè & simpliciter exposuit, eo sine dubio fine, ut ostenderet posteritati, acerbam vindictâ flagitio insignitè improbo respondisse. Erat Leo naturâ mitis & mansuetus, alienus ab omni crudelitate: injurias tamē & contumeliâ difficulter concoquebat. Vbi illatæ essent, vidisses effervescentem oculis scintillantibus corporisq; tremore irâ demonstrare, ut non sine causâ à generoso animali cognomen ei inditum affirmares. Diciverò non potest, quanto perē contumeliosi obsessorum gestus exacerbarent universos, adeò, ut interposito juramento, conveniret, tam diu oppugnandâ urbē, donec se dedat: trucidandos incolas omnes armis habiles, cæteros inde abigendos, totumque locum flagitio antea inaudito pollutum, flammis vindicibus funditus desolandum. Evestigio igitur ad arma conclamatum, propiusq; urbi admotus exercitus, & ne quis fugâ periculum evaderet, abitus omnes diligenter obsepti. Tū verò miles ab omni parte operibus armisque urbem invadere: missilia in propugnatores, phalericas (nostratibus *blida* sunt) in moenia confertim evibrare, nec minus arietibus subter agere, ut parte muri aliquâ labefactatâ, irruptioni locus esset. In opidanis contra animi erant non inferiores: quicquid enim tela aut lapides levare, aut arma ferre poterat, fortiter pro-



propugnabat. Qui verò atrocis, quā dixi, injuriæ scelerati auctores fuerant, eos desperata salus, si cum patriâ in hostis manū pervenirent, in rabiē magis, quā audaciā accendebat. Schedæ veteres, quas laudavi, urbem per biduū frustra oppugnatā, tertio demū die expugnatā volunt. A victoriâ cum impetu per totā discursū urbē: cædes inde passim fugientiū pariter ac repugnantium editæ, vix ullo, qui jam militaris ætatis esset, non, aut trucidato, aut in vincula coniecto. Postquā iræ non nihil deflagrassent, impuberes cū fœminis solū mutare jussi: quibus parentes aut consanguinei deerant, in locū aliquē, ubi viverent, deportati sunt. Auri argenti que, aut preciosæ supellectilis, quicquid inventū fuit, cessit militi: instrumenta ecclesiastica, puta, thuribula, calices, nola, cymbala, unaq; rituales libri, adeoq; fenestræ parietibus evulsæ, omnia Raceburgum, basilicæ, quam ibi unā cum Episcopatu Leo condiderat, exornandæ caussâ, translata sunt.

Exinanitâ hoc modo, spoliatâq; urbe, ad funus ejus properatum. AEdificia publica

— *veterum decora alta parentum,*

ut poëtarū princeps loquitur, dejecta sunt, turrets & muri solo æquati, fossæ completæ, ut jam non urbs amplius, sed infelix ejus videretur cadaver. Ei demum immissus ignis, qui longè lateq; vagatus intra paucas horas quicquid reliquum fuit absumsit. Sola templa cū diligenti curâ illæsa conservata sunt, miserius, si rectè consideres, quā si comune incendiū subjissent. Vacuis enim & inanibus, situq; & squalore marcescentibus, pars miseriarum est, audire quid fuerint.

Atq; hoc modo periit urbs antiqua & opulenta, cujus ruinæ, sicut lugubre, ita infigne sunt vindictæ cœlestis, instabilitatisq; rerū humanarū documentum, peneq; prodigium. Iugis illa & continuata tot seculis felicitas, quæ pietatis, mo-



desitiæ & gratitudinis incitamentū esse debuit, insolentiam peperit, indubitātū fontē calamitatis & miseriæ subsequētur. Qui verò hīc Leonem crudelitatis arguunt, misericordiamq; desiderant, cogitent eā pudendā enormis flagitij deformitate victori quasi ereptā fuisse: cogitent generosos animos maledictis, quā malefactis, gravius lædi: difficiliusque perferre contumeliā, quā damnū, etsi ingens. Vehementer doluit injuria, quæ contingebat insperata: quodq; inde proveniebant convicia, unde oppresso auxiliū fuisset expectandū. Lubecenses tam acerbā animadversione consternati, cum & munitioni urbis recentis diffiderent, & auxilia desperarent, ne eandē subirent fortunam, victori portas aperuerunt: qui idem paulò post Laoburgum expugnavit.

De tempore excidij Bardevicensis apud scriptores nonnulla est discrepantia. Concorditer omnes funestum cladis diē nominant Octobris xxix. qui in Fastis Christianis *Simoni & Iudæ Apostolis* sacer est: etsi pro die noctē inculcet Henricus V Volterus in Chronico Bremensi. De anno controversitur. Fasti Hildesienfes M S. ponunt annū MCLXXX. perpetrā omnino. Chronica duo, edita ab Erpoldo Lindenbruch, unū Sclavicū, alterum Bremense, sicut & vetus Saxonicum, habent annū MCLXXXIX. His subscribit Crancius Saxon. lib. vii. cap. ii. & Metropol. lib. vii. cap. xi. Dissentit Arnoldus abbas Lubecensis lib. iv. cap. i i. disertè indicat, Bardevicū ceterum eo anno, quo Fridericus Barbarossa abiit cum exercitu in Palæstinam: atqui hoc factum est anno Christi MCLXXXIX. ut omnes affirmant historici: versiculi etiam, quos recitat Otto de S. Blasio, attestantur idem.

*Annis undenis de mltis de mille ducentis,*

*Christus ut est natus, transit mare rex Fridericus.*

Arnoldum Lubecensem sequuntur, Albertus Stadenfis, Rudimen-



dimentum novitiorum, Henricus V Volterus, Ioannes Schiphovverus. Nec dissentiunt versus inscripti foribus templi cathedralis Bardevicensis, antea recitati:

*M. C. post Nat. junctis octoginta novemq;*

*Dum Brunsvicensis Dux Henricus Leo dictus,*

*Simonis in festo Bardevic subvertit ab alto.*

Hermannus de Lerbeke in Chron. Schauenburgensi recitat aliud distichon his verbis:

*Dux post M. post C. post octoginta novemq;*

*Bardevic destruxit, Simonis Sol quando reluxit.*

Idem repetit Ertvvinus Ertmannus in annalibus Osnaburgensibus. Abrahamus Bucholcerus ab utrisq; discedens habet annum MCXC. secutus, ut ait, Paulum Eberum, sed ille ponit præcedentem. Deleta est civitas anno, postquam condita fuit MMCLXXIX. climacterico novenario CCXLII. exacto.

Inventi sunt, qui affirmarunt, Bardevicum fuisse urbem Imperialem: facit hoc Dominicus Dreuerus in genealogiis Saxonis MS. In Chronico Rastedensi, quod Schiphovverus penè totum transtulit in suam historiam Oldenburgensem, appellatur *civitas regalis*, & additur *Leonem pro crematione & destructione Bardevici Imperio dedisse civitatem Lubecensem cum aliis multis circa Hartonem*, verba sunt Schiphovveri. Verùm hæc scriptores istorum temporum ignorant. Fuisse autem Bardevicum Leonis *peculium*, ex suprà dictis satis apparet, confirmaturq; scriptorum testimoniis. Chronicon Sclavicum cap. xxv. sic loquitur, *Dux Leo obsedit Bardevic suã civitatem & obtinuit*. In annalibus monasterij S. Michaëlis apud Hildesiam vocatur *propria Leonis urbs*. Henricus V Volterus in Chron. Bremensi hæc habet, *Henricus Leo Dux Brun-*



## HISTORIA

84  
*Brunsvicensis cepit civitatem Bardovic, & incendit, & funditus destruxit, demtis Ecclesiis, & sua antea erat.*

Gubernatam fuisse urbem principis nomine à legato, Comitum dignitate tituloq; insigni, persuaderi possis ex Chronico Schavvenburgensi Hermanni Lerbecij, ubi mentio fit *Henrici Comitis de Bardovic*. Meminit etiam Reineccius in scholiis marginalibus ad LV. caput primi libri Helmoldi, codicem istius auctoris Puchenianum, quo usus sit, eandem lectionem retinuisse. Verum error hic est librarij, ac pro *Bardovic* legi debuit *Badovid*. Et sic habet diploma Leonis apud Lindenbruchium, datum anno MCXLVII. neq; aliter scribunt Albertus Stadenfis, Crancius Saxon. lib. VI. cap. IX. & X. De familia Baduicensi, quæ postea Raceburgensis dicta est, præclare explicat Arnoldus Lubecensis lib. IV. cap. VII.

Amplitudinem urbis colligas ex templis, quæ novem supersunt, sine dubio olim Parochialia omnia. Basilica cathedralis, sive malis collegiata, quando, & à quo condita sit: an post, vel ante cladem everisionis, non inveni annotatum: hoc constat anno MCCXXXIX. mediocriter floruisse. Maturè religionem, ministerio Martini Lutheri repurgatam, auspiciis Ernesti Ducis Luneburgici principis optimi, admisit, superstitionibus Pontificiis profligatis, vitæq; cælibe, tanquam periculosa, abdicatâ. Primum ibi Evangelistam egit *Matthæus Gindrig*, qui anno MDXXIX. eò missus, amplius annis xxx. pondus & æstum diei in vineâ Domini illic portavit. Excepit hunc *Ernestus Boccius*, vir eloquens & doctus, qui summos antea honores in Academia Lipsensi cum laude gesserat. Vtriq; epitaphium scripsit Lucas Lossius. De successoribus quod referam non habeo: collegio ipsi, ut in hoc felicitatis fortunarumq; statu cum solidâ pace quàm diutissimè permaneat, ex animo precor & opto. Hacten-



Haecenus omnia, quæ mediocri diligentia antiquitatis nostræ monumenta perscrutanti, de *Bardis*, eorumq; *vicc*, sese obtulerunt: si qui plura habent, huc etiam sua liberaliter conferant. Cæterum quod de *Phænice* avi speculatores, venatoresq; naturæ, hoc est, *Physici*, referunt, nempe, quod ætate confectâ in rogam ardentem, propria industriâ præparatum, se conjiciat: ex cujus, postquam flammis absumpta sit, cineribus nova emergat volucris, id non ineptè quis accommodaverit ad *Bardevicum* urbem, quæ secula admodum multa vivendo egressa, quasi vitæ pertæsa, morique desiderans, ipsa sibi ferale excitavit incendium, quo desolata, ex infelicibus deploratisq; ruderibus felicissimam produxit sobolem, matris nullo modo imparem, si non clariorem, ea est *Luneburga*, septentrionis lumen. De qua urbe etsi fortassis melius fuerit tacere omnino, quàm pauca loqui: attamen cum istis dotibus, quæ urbes beatas facere possunt, multis jam ab annis floruerit, floreatq; etiamnum hodie, pauca de eâ subjiciemus.

Explodendi autem hîc primò nugatores inepti, sine dubio monachi indocti, qui *arcis Calcarie* primordia retulerunt ad *Julium Cæsarem*, primum Romanorum monarcham, quem satis constat nunquam in has regiones pervenisse. Nec audiendi, qui arcem istam *Juliam* à Karolo M. Saxonum domitore everfam asserunt, cum quod rerum naturâ nunquam fuit, destruere ille nequaquam potuerit. Quid, quod annales Francici, non ab uno perscripti, auctores etiam vitæ rerumq; gestarum Karoli, ne verbulo quidem hujusrei meminerunt? Tantum recentes nonnulli, & hoc & similibus commentis sese oblectarunt. Crancius *Metrop.* lib. III. cap. XIX. *Saxon.* lib. IIII. cap. XVI. constanter affirmat, Hermannum Billingum arcis istius conditorem, cui nos suffragamur.

E

F018-



*Fontes Salis* erupisse volunt sub *Ottone*, magno Saxoniae Duce, *Ludolfi* F. decimas verò earunden, sive vectigal, domino loci inde proveniens, à Cæsare *Ottone* I. monasterio condonatum fuisse. Sed hæc tantum recentiores. Ex diplomate foundationis monasterij *Regie Lothariae* didici Salinas istas tempore *Lotharij* Cæs. floruisse: nam annuo ex illis monasterio assignatreditus.

Quæ de nobili illâ tabulâ, cui laminæ ex auro Arabico, unionibus & gemmis preciosissimis rutilantes obductæ sunt, referuntur, nempe quòd de tributo Sarracenis anno DCCCCLXIX. extorto, jussu *Ottonis* II. fabrefacta, & in victoria illustris memoriam gratiq; animi testimonium *S. Michaëli* dono data sit, illa etiam à recentioribus tantum commemorantur, ignota veteribus.

Primus veterum, quantum ego quidem reperire potui, *Luneburgæ* mentionem facit *Ditmarus* Mersburgensis lib. III. narrans prodigiosum terræ motum, & ex eo hiatum, qui ibi contigerit anno MXIII. Imperante *Henrico* II. Scribit ibi *Ditmarus* *Luinberg*, & civitatem vocat, quâ appellatione priscis istis temporibus etiam tenues vicus, sive pagos ac villas venisse, ipsosq; colonos *cives* nuncupatos, alibi demonstravimus: meminitq; *Spangenbergius* Chron. Saxon. cap. cxxi. Idem Imperator *Henricus* Claudus meminit hujus loci in privilegio, dato Ecclesiæ *Mindensi* anno MXXII. ubi tamen omnia corrupta: nam pro *Luinburg* legitur *Blunburg*, & *Riddagus* abbas *S. Michaëlis Rihedagus* indigitatur. Vide Chron. *Mindense* tomo historicorum German. à *Pistorio* evulgato.

Sub *Friderico* Barbarossâ *Luneburgam* nondum fuisse oppidum affirmat *Crancius* Saxon. lib. VI. cap. XLIII. Sed huic præjudicat testimonium *Lamberti* *Schafnaburgensis*, cui ad annum



annum MLXXIII. Luneburgum dicitur *oppidum maximum* Ottonis (alij *Ortolfum* vocant) Ducis Saxoniae situm in confinio Saxonum & Luticiorum.

Quomocunque se res habeat, & quae mutationes intervenerint, hoc constat, tempore everfi Bardevici ad pedem montis Calcarii fuisse viculum, sive pagum, nomine *Modestorp* / ut Crancius Vandal. lib. XII. cap. XII. (vetus Chronicon Saxonicum scribit *Moierstorp* / Buntingius *Heimerstorp*) ex illo condidit Leo novam urbem, cui idem cum arce mansit nomen. Annum foundationis vetus Chronicon Saxonicum annotavit MEXC. Exstructioni accelerandae permultum profuere rudera Bardevici. Fuisse *Modestorpij Archidiaconatum* ecclesiae sive dioecesis Verdensis, ostendunt historiae, supersuntq; etiam hodie in presbyterio, sive choro, templi S. Iohannis Lunæburgæ saxa epitaphiis insignita quorundam archidiaconorum, videlicet N. MCCCCLXXXII. M. Eggerdi MCCCCXV. *Conradi Openburg*, MCCCCXLIII. Hoc defuncto eodem anno archidiaconatus in *Frakposituram* mutatus est, munus illud primum obeunte *Joanne à Mindâ*, qui obiit post quadriennium. Successores ejus usq; ad annum MDLXXX. recitantur à *Lucâ Lossio* in farragine epitaphiorum Saxoniorum.

Anno MCLXIX. studio sumptuq; Ioannis Ducis Luneburgici Salinae factae sunt uberiores apertâ novâ venâ. Centum & duobus annis post, occupatâ per cives arce, aedificia in monte omnia diruta ac destructa, & monasterio ad montis radicem in urbe assignatus est. Reformatum est collegium ab antistite ejus loci *Herborde ab Holle*, equite Saxonico, qui sinceram Evangelij doctrinam amplexus, pastorem rectè docentem, & scholam ad S. Michaelē instituit, & libros rituales ad normam verbi divini emenda-



vit anno MDXXXIII. Quadriennio antè in urbe emendatio religionis inchoata fuerat, jacente prima presentis ordinis ecclesiæ fundamenta *M. Stephano Kempio*. Primarij pastores, quos vocabulo *Isidori Superintendentes* vocamus, fuisse, *Urbanus Rbegius, Paulus de Rhodâ, Christophorus Hegendorfinus, M. Fridericus Henningus, M. Ioannes Eickenberg*, qui vitam cum morte commutavit anno MDLXVIII. IX. Aprilis. Primus studiorum doctrinæ post factam religionis reformationē, Rector fuit *Hermannus Tulichius*, natus Stenhemij in agro Padi-bornensi: cui anno Christi MDXL. defuncto, successit *Joannes Bathelius Cosfeldianus*, mortuus MDLXXI IX. Vtriq; collega fuit *Lucas Lossius*, qui postquam annos amplius quinquaginta feliciter pubem literariam erudierat, septuaginta & sex annos egressus in cœlestem scholam translatus est MDLXXXII. Cætera aliunde peti possunt.

Cum Boëmi, propter Ioannem Hussum, & Hieronymū Pragensem in conciliabulo Constantiensi contra datā fidē, flammis crudeliter absumtos, supra modum in vicinos desævirent, omnisq; Germania in magno esset metu, Luneburgenses cives immensis sumtibus urbi munitiones circumdixerunt, quæres in grande æs alienū eos coniecit, præbuitq; occasionem excogitandi modos, quomodo isto se onere liberarent: unde magna & diuturnalis excitata, de quâ *Cran-cius in Vandaliâ, lib. XI r. cap. XII*. Verùm ista abrumpo, aliisq; omnia uberius splendidiusque tractanda relinquo. Qui hodie urbis florentissimæ status, quæ ecclesiam, quæ scholam, quæ politicam gubernationem, nemini ignotum est: laudant omnia prudentes: optant pij, ut de istâ felicitate nihil decedat.

Sed priusquam manum de tabulâ tollam, libet hanc subjungere coronidem: nimirum esse longitudinem Luneburgæ



BARDEVICI.

29

burgæ xxxi. Gr. xv. minut: Latitudinē LI III. Gr. Patere in longitudinem MCCCCL. in latitudinem passus DCCCC, secundum dimensionem institutam à Ioanne Sceppero Sueco, anno MDXLI.

N O T Æ

In historiam Bardevici.

Pag. 3. *Borde Magdeburgica*) In archiepiscopatu Magdeburgico tractus est, quem vocant silvestrem, vulgò das Holzland. Quâ ille sinistrorsum protenditur ad Salam & Bodam in Austrum, vocatur die Halebörde: Quâ verò extenditur Magdeburgo dextrorsum ad occiduum solem & Arcton, is tractus dicitur die Holzbörde. Inde habitatores veteres Suevi *Longobardi* nomen adepti, Georgius Torquatus in annalib. Magdeb. & Halberstadtensib. MS. parte I. cap. II. & III. Rectè ille: inepti verò, qui vel à longis bardis, vel à bipennibus, vel quòd custodes sint regionis, id est, *Sandwarter*/ etymon Longobardorum deduxere. Historiam horù describere Paulus Diaconus Foro-Julienensis libris VI. & ex eo Crancius Daniæ lib. III. Cæterùm in agro Magdeburgensi plura adhuc supersunt Bardorum vestigia in pagis, *Bardeleben*/ *Ekenbardeleben*/ *Bardenbefe*/ etc. de quibus aliàs.

Pag. 4. *Dagobertus, Heribertus, Sigebertus.*) Hæc & similia vocabula à Bardis profluxisse auctor est V. Wolfgangus Lazius lib. V. de migrationib. gentium, cuius opinio etsi nostræ contraria est, verba tamen ejus, quia de *Druidibus* quædam non inutiliter admonent, subjiciam. *Nec aliaratione* à Bardis, hoc est, sacerdotibus Gallorum, ac Druidibus fatidicis fœminis, nomenclaturæ defumtæ claris passim viris fœminabusq; accesserunt. Ac viris quidem à Bardis, Gallorum sacerdotibus, ut exempli gratiâ, Degenbardus, Sigebardus, Heribardus, Dietbardus, Rotbardus, Hildebardus, Longobardus, Lambardus, & Hugobardus: quæ postea vicio pronunciarî cœpta sunt, Dagobertus, Sigebertus, Heribertus, Theobertus, Rutbertus, Hildebertus, Lambertus, & Hugobertus. Si latine veritas, repræsentant hæ nobis voces, heroicum sacerdotem, victorem sacerdotem, militantem sacerdotem, Teutonicum sacerdotem





rem, rubeum sacerdotem, misericordem sacerdotem, humilem sacerdotem instar agni. Similiter & celebres mulieres, cum apud Gallos illos veteres, tum apud majores nostros primævos Germanos, à fatidicis fœminabus, Druidibus nempe, cognominatæ fuerunt: Gertrudis, Himeltrudis, Erentrudis, Ameltrudis, Adeltrudis etc. Hactenus Lazius. Nomenclaturæ istæ viriles, quod iterum affirmo, non sunt à Bardis, sed à vocabulo Werth/ quod etiam Bardis originem præbet, ut dixi.

Ibidem. *A Bardis igitur nostratibus*) Crancius hoc invertit lib. III. cap. VI. Vandaliæ, vultq; à Bardevico dictos Bardos, qui vero nomine Saxones. Quis verò ignorat Saxonum nomen istis in locis longè recentius Bardis, modò vera illa, quæ de antiquitate Bardevici creduntur?

Pag. 6. *Iulino & VVinetâ*) De his Arctoi maris urbibus & emporiis olim splendidis, nunc verò desolatis, multa apud historicos: celebrantur etiam veteribus accolarum cantilenis. De VVinetâ, quam ipse *Vinnetam* vocat, præclare Helmoldus lib. I. cap. II. Philippus in oratione de Ioanne Bugenhagio, *Venetam* appellat, respexitq; eodem interprete Chronici Carionis. *Iulinum* sive *Iulina*, ut anonymus auctor vitæ Ottonis, Pomeranorum apostoli, editus à Canisio, describitur à Crancio Vandaliæ lib. II. cap. XXXIII. refutatis fabulatoribus, qui à *Iulio Cesare* conditum volunt. Excidium ejus exponitur lib. V. cap. XXXIX. De utraq; urbe habet etiam quædam Hermannus Bonnus lib. I. Chron. Lubecensis, sed *ἀόρτα πᾶσι πάντων* præstitit clarissimus polyhistor & Theologus David Chytræus, quem adi Chron. Saxon. lib. I.

Ibidem. *Mariano Diacono*) Hujus reliquiæ scribuntur asservatæ & cultæ Verdæ, adi Crancium in Metropoli, lib. III. cap. XXXVI.

Pag. 10. *Expeditio Brunonis*) De hac vide annales Francicos Fuldenses ad annum DCCCLXXX. Ditmarum lib. II. Helmoldum lib. I. cap. VI. qui omnes concorditer affirmant, casos ibi cum reliquis proceribus, duos solummodo Episcopos Marquardum & Theodoricum, quorû hic Mindensem, ille Hildesensem tenuit cathedrâ. Quæ Cranci<sup>o</sup> assuit de multis Episcopis cum Brunone interemtis, Metropolis lib. II. cap. IX. quorum catalogum texit in confutatione Legendæ de Pontificis Benedicti V. martyrio, ea fabulosa sunt.



fa sunt: nec enim scriptores coætanei, neq; qui paulo post vixere tale quid referunt: imo Episcopatum annales planè dissentiant. Pertraxit tamen Crancius in errorem eundem, Georgium Fabricium & Cyriacum Spangenbergium, quorum ille Originū Saxon. lib. II. hic Chron. Saxon. cap. clix. eadem affirmat.

Pag. 12. *Suenonem Estritium*) Quàm hic antiquitatis cognitioni, & imprimis historiae patriæ studuerit, ostendunt Adami Bremensis narrationes lib. I. cap. XL. & XLIV. Vide ejus encomium apud Crancium in Daniâ lib. III. cap. xxxii.

Pag. 14. *Vicelinus, Adenburghensis Episcopus*) Sic omnes ferè scribunt, solus Hermannus Lerbeccius *VViscelinum* vocat: unde conicias, esse nomen idem cum *VVesselo*. De patriâ & studiis ejus præclare Helmoldus lib. I. cap. XLIII. de laboribus & peregrinationibus, in sequentibus aliquot: obitus qui incidit in annum MCLIV. exponitur cap. LXXIX. Vitam ejus carmine perscriptam edidit Erpoldus Lindenbruch amicus noster.

Ibidem. *Quernhamela ad Visurgin*) Helmoldus lib. I. cap. XLIII. vocat villam publicam: auctor vitæ Vicelini vicum:

*Saxonia vicus Quernhamela sit benedictus.*

hodie urbs est Ducatus Brunsvicensis florentissima, vulgò Hameln. Quæ apud nos in ore omnium, neq; alibi ignoratur, historia de pueris aliquot & puellis, tenerioris ætatis, ab inauspicato quodam circulate, ipsa die nativitatis præcursoris Christi, nescio quo magico cantu, ex urbe evocatis, neq; post unquam visis, etsi nonnullis suspecta sit, verissima tamen est, quod multa evincunt: nempe majorum quædam in archivo conservatæ assignationes, fama constans per manus tradita, picturæ in templis, & rythmi ac versus veteres, quos, etsi rudes, propter antiquitatem, omnibus gratam, subjungemus:

Im Jahr MCCCXXXIII. na Christi Geburt/

Tho Hameln worden uthgevort/

Hundert vnd XXX. Kinder dasülvest geboren/

Dorch einen Piper/ vnter den Köppen verlohren.

Intelligit locū, ubi fontes capite truncantur: nam ibi in colliculum vicinū miraculosè dehiscens, pueri ingressi perhibentur. Versus recitantur à Letznero in Chron. Corbejensi, cap. xvii.

Cen-



## HISTORIA BARDEVICI.

*Centum terdenos Magus ab urbe pueros*

*Duxerat ante annos, condita porta fuit.*

Qui verò addunt, infelicem istum casû, novam peculiaremq; Hamelensibus peperisse Epocham, sive AERAM, næ illi vehementer falluntur: cum nihil hujus unquam publicè scriptum fuisse, à fide dignis ejus loci hominibus non semel audierimus. Exponit historiam hanc uberius Buntingus Chron. Brunsvicensis parte tertiâ: in anno variat, ponit enim MCLXXXII.

Pag. 15. *Richense*) Sic habet diploma Leonis, datum eo ipso anno, quo pater Henricus Superbus vitam cum morte commutavit. Ab aliis aliter scribitur: Helmoldo est *Richenze*, eodemq; modo habet diploma Lotharij Cæsaris: Ottoni Frisingensi lib. VII. cap. XXIII. *Richinza*: hunc sequitur Stadenfis: Vrspergenfi *Richensa*: Dodechino appendice ad Marianum Scotum *Richnisa*: Chronico veteri Saxonico nostrâ linguâ *Rixe*/ inde inauspicatum nomen Latinum fecit, *Rixa*, novam videlicet Xantippen. Est autem vocabulum compositum, ex duobus *Reich* vnd *Segen*.

Pag. 16. *Henrico Austrio*) Hujus fratri *Leopoldo*, cognomento *Largo*, *Leopoldo Pii* filio, Conradus Suevus Imp. Boariam, Henrico Superbo Guelfio ereptam, tradidit possidendam, quæ res excitavit bellum civile in Germaniâ. Verum utroq; tam Superbo, quam Leopoldo defuncto, idem Cæsar Henrico Austrio Leopoldi Pij primogenito, dedit Boariam, & cum eâ Gertrudin Lotharij filiam, Superbi viduam.

Pag. 17. *Elica*) Nomen est Germanicum, diminutivum ab *Eilâ*, cui respondet *Hilla*: utrumq; est vocabulû à celeritate in negociis expediendis: ab illo composita *Eilardus*, *Eilimarus*, *Eilbertus*: quæ Germanicè, *Eilart*/ *Eilmeier*/ *Eilwart*: ab hoc *Hildebrand*, *Hilleboldus*, *Hillebodo*, *Hildegardis*, etc. quorum Etymologia nota.

Pag. 18. *Et Anglia & Dania regibus*) Angliæ rex hoc tempore erat *Richardus* cognomento *cor Leonis*: Daniæ *Kanutus*, *VVoldemari* F. hujus nominis sextus: hic gener, ille sororius Henrici Leonis.

Pag. 19. *Nobili illâ tabulâ*) Vide Buntingum Chron. Brunsvicensis parte secundâ.

F I N I S.



Tom. Vol 3456<sup>a</sup>

ULB Halle

3

002 498 413




Sb.

1007









BARDE<sup>4</sup>

SIV<sup>4</sup>

Historia urbis ist

Germanicarum antiquissima  
condita : quas experta mut  
occasione fundit

*Congesta ex probatissimis scrip  
tibus, editis & manuscriptis :*  
*principumque diplom*

operâ ac f

HENRICI M

Poëtæ & H

Ecclesiasticus

Περὶ πηγῶν ἀγνῶν καμ  
περὶ αἱμάτων


EDITIO SI



HELMES

Typis HENNINGI M

Anno c13



Ex. 13

